

11. 31. 53

ELEGIA

77.

L. JOACHIMI FELLERI, POES. PP.

AD

FLORENTISSIMUM

1682

STUDIOSORUM
LIPSIENSIIUM
COETUM

IPSIS NUNDINIS AUTUMNALIBUS
PERSCRIPTA

HOC ANNO POST C. N.
M. DC. LXXXII.

LITERIS CHRISTOPHORI GÜNTHERI,

52 4, 33a

ANNO M, DCC, XXXIV,



DOMINIC. BAUDIUS

AD

STUDIOSOS olim LEIDENSES,
nunc LIPSIENSES.

O Decus eximium patriæ, generosa propago,
Doctrinæ studiosa cohors, spes læta parentum,
Stirps unde exoritur soboles lectissima gentis,
Flos juvenum, quos mulcet honor, quos gloria pungit
Et quibus accendit præcordia fulgor honesti,
Vos, inquam, ô juvenum charissima pectora, tandem
Induite obsequium, rectique infisite callem.
Omnia quæ contraque fidem, præterque decorum
Sunt admiffa prius, sub opaca nocte latebunt,
Fidaque delebunt veteres obliviam noxas,
Si peccasse piget. Semper patet ara salutis,
Et veniæ lapsis. Tali fidissima portu
Consistit statio, præclusa est gratia nulli,
Quem spes alma fovet, placido quem cernere vultu
Mens bona dignatur. Studiorum incumbite curis,
O socii, quos certa sui fiducia tollit,
Et prædulcis honos, revocate ad munia vires,
Et vitæ provisâ parùm consulta prioris
Sanate officiis. nutu rationis eant res,
Non vi, non fremitu: generosam accingite mentem
Ad decus, ad virtutis opus; feret hic labor olim
Gaudia, & eximio vos Patria tollet honore.



Scribere sacri aliquid Phœbi pro gente rogatus,
Proque illa cantûs composuisse pios,
Mox aderam prompto votis subscribere honestis,
Qui flagro Aonii totus amore gregis.
Otia nam Musis pestis non dulcia nostris
Fecerat, & Clarias clauferat atra domos,
Musicolas etiam latè disperferat ipsos,
Qui Parnassi aliàs publica sacra colunt,
Illorumque adeò voces tacuisse jubebat,
Qui Phœbo ex rostris corcula chara docent.
Colligere ergò preces cœpi, exspatiatus in hortos,
Enthea ubi pietas semina dia fovet,
Atque odas sociare sacras, quas tempore quovis
Aptatis caneret Gens studiosa modis.
Cœpi, inquam; ast aliò traherent cùm plurima mentem,
Illamque haut sinerent arbitrii esse sui,
Cuncta abundum, & jam pratexere multa volentem
Me visa Eusebie his increpuisse sonis:
Hem pudeat, Fellerè, piis absistere curis,
Inceptumque minùs continuare librum!
Perge age, quosque aliàs sœvisti reddere doctos,
Nunc, tua dum pausat functio, redde pios.
Arridet labor ille mihi, summoque Jehova,
Qui pia præ doctis pectora semper amat,
Nec tam dulcisonæ capitur modulamine Cliùs,
Quàm pulsu Assaphica Davidicæque lyra.

Tempus erit, Stygiâ quo peste ex Lipside pulsâ
 Pierios dabitur ducere, ut antè, choros,
 Mellilegæque instar volucris percurrere vates,
 Dulcesque, ut quondam, consolidare favos.
 Tempus erit, Pithûs iterum quo templa sonabunt,
 Aonia pubi quæ referare soles,
 Publicæque excipiet multos cum gaudio ephebos,
 Hospitibus quæ nunc, Bibliotheca, vacat.
 Inceptum ferventer agas hoc tempore, si me,
 Si Paræassiacæ commoda gentis amas,
 Nil Momi, ac reprobis curans diætera mundi,
 Omnia cui risus sunt sacra, sunt quæ jocus.
 Pulchrum operæ pretium facies, hujusque laboris
 Non parva in cælis præmia, crede, feres.
 Cernin', ut æthereo pietatis calle relicto
 Præcipientes multi Tartara nigra petunt,
 Pro Musis Veneres, vero pro Numine Bacchum,
 Et Bacchi comitem dum venerantur Erin?
 Quàm multos etenim vexat malevada libido,
 Luminibusque capit Cyntbia blanda suis?
 Quàm multi evacuant prægrandia pocula Lyæi,
 Nec Cyrrha, ceu fas, flumina docta bibunt?
 Quàm multi gladiis faciunt sibi vulnera strictis,
 Et sæpè in pugna, ut victima cæsa, cadunt!
 Quid reliquos pigra celebrantes fana Vacuæ,
 Quæisquæ Deas inter Murcia sola placet?
 Quid nam alios memorem, quos, Pindi ex culmine, anbeli
 Quod scandunt, quamvis pulcra brabea ferant,
 Parcos esse tamen cultores Numinis almi,
 Et raras videas fundere ab ore preces?
 Scilicet in lato vitiorum tramite plures
 Herent, quos cives scripsit Apollo suos,

Astrari apparent nantes ingurgite vasto,
 Quae Pietas cordi vitaeque sancta fiet.
 Ergo illis Helicen praefige, Arctonque minorem,
 Currenti quae sit duxque comesque via;
 Sic benè jam vacuum perdes, charissime, tempus,
 Nec labor in Domino ceptus inanis erit.
 Dixerat. Insto igitur, cur à majore solutus,
 Huic operi, ac sancta jussa facesso Deae,
 Nunc ex Soliloquio preculas hinc indeque libris
 Depromens, quorum dives ubique seges,
 Nunc sacrum immiscens carmen, melicosque sonores,
 Orpheus Plissiadum quos mihi spontè dabat,
 Cumq; admota foret parvo manus ultima † libro,
 Non nisi Musicolis hunc voluisse sacrum,
 Horumque haut tribubus, sed surculo Apollinis omni,
 Quos Sala, quos Albis, Plissaque noster alit;
 Nil quicquam argenti pro isthac venatus opella,
 Sed suspiriolum pro pio amore pium.
 Sat mihi faustus enim fortunatusque videbar,
 Si mihi sit vestras fas renovare fibras,
 Vanisque Idolis affixam abducere mentem
 Unius & trini ad numina sancta DEI.
 Verùm eheu! largos mihi dum jam spondeo fructus,
 Et vitæ ex vobis candida signa novæ,
 Fallor, vosque illos non ejurasse Deastros
 Audio, sed veterem circumagitare rotam.
 Quid? quòd terrigenas pars magna imitata Gigantes
 Ensisferè sprevit tela tremenda Jovis,

† libellus intelligitur precatorius, cui titulus: DEVOTUS STUDIOSUS, vel, der Andächtige Student/hoc anno editus & Studiosis universis Academiæ Lipsiensis, Wittebergensis, & Jenensis dedicatus.

Inqve Magistratum excivit malesana tumultum,
Qvi Jovis implerat jussa verenda sui?
Hæcine vestra fides digitis jurata duobus?
Hæc Pietas PATRIAE testificanda PATRI?
Hæc Thymbræarum reverentia debita legum?
Hic Capitis, Pindo quod moderatur, honos?
Fœdum admisistis facinus, planeq; pudendum,
Milleqve quod lacrymis vix Metanœa piet.
Jure ergò in vestros vibrârunt fulmina mores,
Qvos posuit summa in Sionidum arce DEUS,
Et detestatiturbas, motûsqve protervos
Cœpère in rectam vos revocare viam.
Sic etenim lex mosqve jubet. Sale primitus acri
Grande aliquod fas est perfricuisse nefas,
Dein meliorem illis virtutum ostendere callem,
Et bona vulneribus pharmaca ferre datis.
Nunquid vos stimulat mordendi frena cupido?
Vosqve magè obstreperos virga paterna facit?
Heu, heu! quò ruitis, Nostri, & quorsum efferus ardor,
Quorsum intemperies vos furiosarapit?
Instictum est animis vulnus medicabile vestris;
Cur igitur medicam non adhibetis opem?
Flectimini, & grandem submissi agnoscite culpam,
Vobisqve imposito subdite colla jugo,
Non dare terga animo sedeat, mutareqve Pindum,
Nam pede vos Nemesis non remorante premet.
Spontè autem crimen fuerit qui fassus iniquum,
Non Minos illi, non Rhadamantus erit.
Flectimini! affectu sic vos Fellerus amico,
Ipsaq; sic princeps Calliopèa monet:
Quid fugitis, nostri dulcissima gaudia montis,
Noster amor, vatis deliciæqve mei?


Qve

Quæ vos jam feriunt, placida sunt verbera Matris,
Non rigidi patrum, terrificique Patris.
Stare, & quas vobis dicat lex publica pœnas,
Solvite, cor vultur quævis Tityi ille vorat,
Et faciles deinceps Superos promittite vobis,
Hostia quævis grata est, qui male-facta dolet!
Vos verò, ô reliqui, quos vel torrentis ad instar
Invitos rapuit cæcus ad ista furor,
Vel procul à turbis spreti qui munere vestro
Functi estis, Phœbi ceu pia corcla decet,
Ne finite à sociis vos, quæso, abducier illis,
Quævis castigantùm non benè verba placent;
Quin vestris potiùs placidi confidite nidis,
Nec toties vetitas postea inite tribus.
Exponent Clarii vobis cimelia Patres,
Omnia, post Lucrui publica festa Dei,
Vos modò gratuitas Patrum ne spernite merces,
Sed cupidà, ut par est, irripitote manu.
Seu vos Eusebie, seu vos Diva ense refulgens,
Seu natos vocitat vos Hygiea suos.
Namque hic Mercurii haut tantùm solennia fervent,
Fixit mercatùs hic quoque Apollo suos.
Omnibus hic omnes prostant venientibus artes,
Quicquid & Aonio scibile in orbe viget.
Hic Helicon Pindusque patent, quævis octo sorores
Proscansu mecum laurea ferta parant;
Permessi hic latices, hic Castaliique liquores,
Largaque doctifica Phocydias unda fluit.
Hic Charites etiam regant, moresque politi,
Hic lingua Veneres, Atticus atque lepos;
Hic etiam Musis dantur loca lautia egenis,
Divitum & exprompta ad splendida dona manus.

Quid

Quid plena antiquis referam palatia libris,
Vate meo vobis quæ referant patent?
Quid roseæ vallis longè gratissima tempe?
Quid nemora, & fluvius præta rigata tribus?
Porro ergò in nostris, Juvenes, consistite septis,
Pierique alacres scandite ad alta jugi,
Utque citò optatas liceat decerpere lauros,
Atque has cum multa laude referre domum,
Sit Pietas vobis cura, sit & iste libellus
Felleri vobis Arctica stella mei!
Sit sua & Ensifero majestas salva Dynasta,
Obsequium Clario detur & usque Duci!
Sic vestrum benè cedit opus: Sic dia beabit
Gratia, Vos, precibus sollicitata piis:
Sic & Saxonica Ruta vos obteget umbra,
Et studiis vestris præmia grata dabit.
Quin & vestram anet taciti sic vulneris experts
Mens, Furias aliàs quondam habitura suas,
Siquè hunc vos bijugum porro conscendere montem
Juverit, & curas posthabuisse leves,
Enbederas vobis virides, laurosque paratas,
Supremi & quicquid Pindus honoris habet!
Sic Dea. Nec frustra. Subitus deserbuit æstus,
Et melius Numen corda reflexa regit,
Dumque illis Plissinus olor sic vellicat aurem,
Non vanos monitus jam videt esse suos.





906769

ULB Halle 3
003 350 355



Sb.

Retros ✓ 9.1.01

N.C.

1077





L. JOACHIM
FLO
STU
LIP

IPSIS NU

HO

LITERI

ES. PP.

M

UM

M

LIBUS


ERI,

17. 31. 53

>>

1682

4, 332



ANNO M, DCC, XXXIV,

